



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Diplomatvm Belgicorvm Libri Dvo

Le Mire, Aubert

Brvxellis, 1627

72. Philippus, illo nomine secundus Marchio Namurcensis, Petri Imp. Constantinopolitani & Iolendis Comitissae Namurcensis filius, Namurcensem S. Albani ecclesiam dotat, an. 1221.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10903

tenentur interesse: sed neuter eorum ad celebrationem maioris Missæ cogendus est.....

Satis dictus quippe filius meus, de tota terra Namucensi, cum integritate feodi, & dominio eiusdem terræ, bene & legitimè adheredatus, satis dictæ Capellanæ institutionem, modo quo prædictum est, approbavit, & sigillo suo, cum mei sigilli confirmatione, diligenter roboravit. Actum anno Verbi incarnati millesimo ducentesimo sexto decimo. 1216.

N O T A T I O.

Ex hoc diplomate datur intelligi, IOLENTAM, eiusque maritum Petrum Autisiodorenses, non nisi annis quattuor possedisse Comitatum Namurcensem, & anno millesimo ducentesimo decimo sexto cessisse Philippo filio dictum Comitatum seu Marchiam Namurcensem, paulò antequam Romã proficiscerentur, ad suscipiendam coronam Imperij Constantinopolitani ex manibus Pontificis Maximi. Quod nota contra Meierum, qui ad an. 1225. hæc refert.

C A P V T L X X I I.

Philippus illo nomine secundus Marchio Namurcensis, Petri Imp. Constantinopolitani & Iolendis Comitissæ Namurcensis filius, Namurcensem S. Albani ecclesiam dotat,
an. 1221.

EGO PHILIPPVS Marchio Namucensis omnibus, tam futuris quàm præsentibus, paginam hanc inspecturis, notum facio, quòd pro animabus PETRI bonæ memoriæ Imperatoris Constantinopolitani, patris mei, & IOLENDIS Imperatricis, matris meæ, & antecessorum meorum, ecclesiæ S. Albani Namucensis, in elemosynam perpetuam, affectu benigno, contuli omnes calceos, qui mihi debebantur omni anno, duobus terminis de stallagio Namucensi;

Saluis tamen illis calceis, qui de iure debentur Scabinis Namucensibus, & tribus horoscopis, duobus portarijs castri, & duobus præconibus villæ, saluis quoque alijs calceis, si qui iudicio Scabinorum Namucensium aliàs de iure debeantur.

A a a

De

De his quidem calceis institui, ut omni anno in perpetuum, in die anniuersarij parentum meorum, piæ memorię, Canonicis S. Albani, qui præsentibus erunt anniuersario, distribuantur quindecim solidi Valencenensis monetz.

Testes huius rei, Gillebertus Præpositus, & Hugo Decanus S. Albani, & magister Ioannes Custos S. Albani, Notarius meus, cum præsentibus eiusdem loci Canonicis, scilicet Alardo, Renmo, Dionysio, Petro & Seruatio, & alijs.

Testantur etiam hoc factum meum vir nobilis Gerardus de Iacea, Simon quoque de Genleng, & Balduinus de Lobijs, milites, quia præsentibus fuerunt. Sub testimonio etiam Philippi de S. Lupo, Villici Namucensis, & Scabinorum, videlicet Renaldi, Sigeri, Lamberti de Burges, Philippi de Vanasseur, & Colini de Vellomonte, & multorum aliorum.

1221. Ut autem hæc elemosyna mea, bene & pro bono facta, non valeat irritari, sed firmitatem perpetuam obtineat, chartulam hanc sigilli mei appensione muniri feci. Actum in festo beati Dionysij, anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo vicesimo primo.

NOTATIO.

PHILIPPVS illo nomine secundus Comes Namurcensis, ad bellum sacrum contra Albigenses profectus, in obsidione Auenionensi, aut paulò post urbem illam à Ludouico Gallię Rege captam, an. 1226. viuere desijt, non relicta sobole; sepultus Valcellis, quæ est Abbatia ord. Cisterciensis, haut procul à Cameraco, vbi tumulus eius marmoreus in claustro Capituli hodieque visitur. Fundari post obitum suum iussit Abbatiam Grandi-pratensem, ut infra cap. 78. dicemus.

Philippo in Comitatu Namurcensi suffecta est soror MARGARITA, Henrico Comiti Viennæ seu Viandæ in agro Luxeburgensi nupta.

CAPVT